



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 22. Aduersus Alexandrum hoc loco abutentem. Ac rursus de
intellectus, natura, ad tex. eundem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

ac perfectae substantiae. Neque aliam ex commemoratis intellectus nostri imperfectionibus habet, nisi quod etiam actu per se ipsum intelligat, atque alias coplures a natura infusas cognitiones habeat, ad alias tamen quaedam potestate est, quas a rebus ipsis accipit: cuiusque intellectioe accidens est, non substantia, aduentitia, non essentialis.

Quapropter tres existunt intellectus gradus, diuinus, Angelicus, & humanus. Diuinus lapremus & perfectissimus, humanus infimus & imperfectissimus: angelicus inter utrumque medius. Quaeque in hoc libro cum ab Aristotele, tum a nobis, aut de intellectu dicta sunt, aut deinceps dicentur, de solo humano, qui animae facultas est, intelligenda sunt. Nati quod affirmatum est, intelligere esse susceptionem quandam passioni similem, in intellectu nostro verissimum est, & verò etiam in angelico, in quo ipsius intellectio est actus secundus a primo ipsius intellectus distinctus, illique aduenticius: At in diuino nullo modo, quòd is nullam eiusmodi distinctionem admittat. Intellectum verò esse potestate intellectiua omnia, nihilque eorum actu, solius intellectus nostri proprium est. Etenim angelicus multa esse creditur, diuinus omnia, cum omnium rationes & ideas in se habeat altiori ac meliori modo, quam ipsa sint in seipsis. Denique impatibile esse, neque cum materia permittum, intellectu omni conuenit: sed meliori adhuc modo angelico, optimo autem diuino, qui distit magis a materia sunt & elenari, quam nollet sit, qui inter illos & materiam veluti medius existit.

Ceterum Aueroës dum in ipso initio Digressionis ad text. 5. differentiam intellectus nostri a materia consideraret, duplicem eam proposuit. Alteram, quod intellectus potestate est ad omnes formas intellectuales vniuersas rerum materialium, materia ad formas sensibiles. Alteram, quod intellectus formas cognoscat, quas suscipit, materia non cognoscat. Sed in utraque peccauit. In altera, tum quia intellectum dixit potestate ad rerum materialium formas, cum non minus sit ad immaterialium. Tum quod ad vniuersas solum, non item ad rerum singularum formas potestate fecit. Cum tamen has quoque cognoscat, ut in intellectu practico manifestum est: immò & in theoretico, dum in caelestium orbium consideratione versatur, si (quemadmodum ille tradidit in commentario 49. libri secundi de caelo) numero solum illi differunt, nec ab ipsis potest abstrahi vniuersa natura. Tum vero quod materiam dixerit potestate duntaxat ad formas sensibiles. Nam siue sensibiles appellauerit qualitatum sensibilibus formas, siue formas materiales, siue singulares, omnino falsum dixit. Materia namque ad formas item substantiarum, immo magis, quam accidentium, & ad animam item nostram, quae immaterialis est, potestate existit, ut illam suscipiat, & cum ea per se vnatur: quidquid ille hac de re senserit. Ac demum si formas solum singulares suscipit, hoc ipsum illi cum intellectu commune est. In altera verò lapsus est, dum rationem eius ostendere voluit. Non enim ea est ratio: quoniam intellectus formas vniuersas suscipit, materia singulas. Nam sensus (tactus maximè & gustatus) non nisi singula suscipit & cognoscat: & intellectus, ut dictum est, singula quoque diiudicat. Et cum intellectioem suam suscipit, nonne haec singularis forma est. Sed illa potius est ratio, quam in textu 124. superioris lib.

At respondit Aristoteles, cum de plantis differeret; quia non habet huiusmodi principium, quod suscipere formas possit sine materia. Siquidem omnis cognitio eleuatione constat a materia. Tantumque abest, ut ipsa queat cognoscere, ut omnem potius cognitionem impediatur, nihilque quamdiu cum ea coniunctum fuerit, cognoscatur. *Impermissum quod in se patibile, separabile.*

Alexander autem duobus modis hoc loco abusus est. Primum enim cum eum sententiae suae, quae humanum animae intellectum materialem esse, corporeum, ac mortalem statuerat, magnopere aduersari, eò tandem se conuerit, ut impermissum illum appellari interpretaretur, non quòd a materia, & corpore immunitis sit; sed quod permisceri non possit. Quod enim permiscetur, antecedere aliquo tempore id oportet, quod ex illo permittum efficitur: quemadmodum elementa permittis corporibus ceteris priora existunt. At humanus intellectus hominem non antecedit. Et quoniam si dissolendus & corrumpendus est, patitur necesse est; impatibile eum dici respondit, quòd non patitur ipse, sed per eum corpus. Ac demum separabilem etiam interdum nominari; propterea quòd aliud quidpiam sit a corpore diuersum. Deinde hinc alteram illam sententiae suae partem, qua intellectum meram & sinceram omnique actu carentem potestatem esse voluit, plurimum credidit confirmari & quasi stabili fundamento niti. Si enim ut omnia intelligat, intelligendis omnibus rebus impermissum esse debet, nec earum vlla forma, & actu praeditus, sola igitur ad intellectiua omnia potestas fuerit.

At neque prior interpretatio consentanea est, neque posterior deductio certa ac necessaria. Verè namque obiecit Philoponus, interpretatione illa sensum quoque impermissum, impatibilem, ac separabilem fore. Siquidem nec ipse animal, in quo est, antecedit; nec per se patitur aut corrumpitur, ut est in textu sexagesimo quinto libri primi; sed corporeum organum, quo patiente ac dissoluto pati ac dissolui sensus dicitur. Nec demum ipse idem est cum corpore; sed ut anima, sic facultas omnis animae ab eo diuersa existit. Atqui Philosophus haec omnia tanquam intellectus propria adfert quibus a sensu ac reliquis animae partibus distingueretur. Deinde si ita, ut Alexandro libuit interpretari, impermissum, impatibile, separabileque dixisset; Anaxagoram testem nequaquam adduxisset. Quoniam is non eodem impermissum & impatibilem dixerat intellectum. Sed impermissum quidem velut separatum a materia, cui congregande segregandeque dominabatur. Impatibilem autem, hoc est congregationis & disgregationis motu min-



mè agitarum; sed mouentem duntaxat & agitantem; congregantem & disgregantem cetera: vt ex tex. 37. lib. 8. Phisic. manifestissimum est. Tum verò illa accedit ratio, quæ hoc loco continetur. Intellectum enim impabilem esse probat Philosophus, quoniam impermissus est. Ac rursum ex eo, quod impermissus est; separabilem esse colligitur. At quæ deductio sit; Intellectus permisceri non potest, impabiles igitur ipse per se est? Ac rursum; Permiseri non potest, separabilis ergo, hoc est à corpore diuersus est. Deductio nulla esset, & probatio planè superflua. Nam impabilem per se cum esse manifestum est: quia quod per se patitur, materia est & corpus, forma aut qualitas vel affectio, cætenus duntaxat, quatenus in materia & corpore continetur. Esse autem à corpore diuersum multo magis erat certum & in principio etiam probatum, vbi animam ostensum est corpus non esse.

Sapienter itaque pronuntiauit Philoponus, triplici illo attributo, impabile, impermissum, & separabile, intellectus atque adeo rationalis animæ, cuius is facultas est, immortalitatem affirmatam fuisse, atque intellectum à sensu distinctum. Ego verò immaterialitatem, impabilitatem, & immortalitatem dicam. Siquidem horum vnum ex altero nascitur ac per belle deducitur. Immortalis autem asseritur, quia impabilis est, & ideo destructo ac pereunte corpore non destruitur neq. cum eo perit, sed superstes est, & vt dicebatur in tex. 21. superioris libri, separatur tanquam perpetuè à mortali. Quæ verba aptissima sunt ad separabilitatem, de qua nunc agitur, declarandam. Ac rursum impabilis affirmatur, quoniam immaterialis est & incorporeus. Quæ demonstratio ad primam causam, nempe ad naturam & substantiam ipsius, reuocata est. Etenim vt in corporibus ac materialibus rebus vsu venit, vt quia materiam habent, pati possunt & corrumpi, siquidem materia primum in illis existit passionis omnis & corruptionis principium: sic contra in ijs, quæ materia carent, expers esse materiar, passionis & corruptionis principij, prima est causa, cur pati nequeant & corrumpi. Cur autem illa materiam habeant, hæc non habeant, prior causa adferri non potest, cum hæc ipsorum essentia sit, quæ priorem causam non habet. Ex effectibus solum & operationibus demonstratur. Quare vt primum motorum immaterialem esse non nisi ex perpetua & absque fatigatione cælestis globi conuersione colligitur: ita nunc eodem argumenti genere de intellectu loquens vt potuisset. Intellectus cum corpore non patitur nec senio debilitatur, sed sapientior potius ac perfectior euadit, materialis igitur non est neque corporeus. Verùm hoc argumentum prætermissit: aut quod in textu sextogesimo quinto libri primi eo iam vsus fuisset, aut quod cum aliud suppeteret huius loci, in quo quemadmodum intellectio fiat exponebatur, magis proprium, videri noluit vti circulo atque idem per idem probare, si impabilem ostendens quia est immaterialis, immaterialem illico demonstrasset, quia est impabilis.

Altera quoque ex operationis genere, ex intellectu: ne inquam, in promptu erat demonstratio. Quippe vt omne immateriale est intelligens, ita & omne intelligens immateriale. quare vt licet colligere, est immateriale, ergo intelligens, sic ex intellectu potuisset intellectum deducere

immaterialem esse. Si enim cognoscere nil aliud est, quam rerum cognoscendarum formas eleuare à materia, ac sibi similes factas absque materia suscipere, omne cognoscens quoquo modo creatum esse oportet à materia, perfectissimum autem & omni modo intellectum, qui supremum cognitionis gradum habet.

Sed tertiam illam adferre maluit, quæ tum immaterialitas ostenderetur, tum etiam informari explicaretur, quam affirmaret intellectum esse, dum cum nihil actu intellectuum esse pronuntiauit. Cumque impabilem esse demonstrasset, quia immaterialis est: ita mox immaterialem esse ostenderet, vt simul alterum illud confirmaret; eum esse formam susceptionum. Demonstratio autem est; quia omne, quod aliquid recepturum est, carere eo debet, quod incipit. Quare si materialia & corporea intelligimus, expertem materie atque à corpore solutum ac liberum esse intellectum nostrum necesse est.

Quò loco abusus Alexander non esset ad probandam illius potestatem omni actu contentem; si de materialium duntaxat & corporum intellectu Philoponi probationem esse animaduertisset. At quoniam generalis propositio vniuersè vera esse videtur, obijcentem illum audiamus; Eodem argumento probari omni quoque immaterialis & incorporea forma ac nam illum carere: siquidem immaterialia item & incorporea, vel etiam seipsum, intelligit. Meretur tum ad materialia, tum ad immaterialia conuersa, atque adeo ad seipsum rerum omnium formis susceptis actu aliquando futurum, potestatem fuerit. Hæc argumentatio in ipsius auctorem retorqueri primum potest. Nam inter cetera, quæ intellectus intelligit, aut seipsum intelligit, aut non intelligit. Si seipsum intelligit, non est igitur, vt ipse contendit, materialis & corporea rebus; sed immaterialis & abstracta, & ideo separabilis.

Neque enim aliam is respondet causam; cur nec sensus sentire seipsum, nec materialia cetera agentia in seipsa queant se contrahere; sed solius intellectus privilegium hoc sit: quia materia & quantitate implicata sunt vires cetera; hæcque sola immunitis & libera. Sed verò seipsum non intelligit, forma quæquam facultas ab intelligendis omnibus diuersa esse poterit. Eritque potestate quidem ad conuersionem intelligenda; in se tamen actu, id quod ea intelligitur est. Deinde respondendum est, vt in superioribus etiam significauimus; in intellectu nostro essentiam ab operatione, actum primum à secundo, intellectum ab intellectu, diuersa esse: sicut & sensum à sensatione. Et ideo si sola intellectus essentia consideretur, quam intellectum potestate appellamus; illa sanè, nec seipsum, nec aliud quidquam intelligit; sed potens est ad aptum alia, tum se intelligere. Res ipsa potest intelligit, non res ipsas, sed earum intellectuales formas suscipiendo: actus in quâ secundo intellectu, vniuersum rerum intellectuarum formas, quibus eas sibi vniuerso, quam sint in se, nempe immateriali modo & secundum esse cognitum, transformat in seipsum, atque ita intelligendo fit omni. Neq. igitur dum seipsum intelligit, se ipsa se ipsum suscipit, sed secundum esse cognitum, cognitionem inquam velut formam

Anima
nostra
immaterialis,
impabilis,
immortalis.

Dante

formam intellectualem sui. Quare ut actus primus dif-
ferat a secundo, formaque realis & naturalis à forma
cognita: sic intellectus natura ab intellectibus
omnibus intellectibusque formis, quas suscipit,
diversa est. Et quoniam non naturales, sed cog-
nitas solum formas suscipit; his duntaxat eum carere
necesse est, ut illas possit suscipere. Ergo ceterarum
omnium rerum tum reali, tum intellectuali, sit au-
tem ipsis intellectui solum forma caret. Quoniam
natura est, non a se ipso (hoc enim esse non potest)
sed ab alijs omnibus diversis; que tamen nullam nec
aliorum; nec sui ipsius cognitionem in se habet.
Atque ita demum interpretaberis brevissimam il-
lam Philoponi responsionem; Intellegens ab eo,
quod intelligitur, hoc est ab intellectu forma, & ve-
ro à se ipso quatenus intelligitur, diversum, esse ac
impermistum.

Mior præterea Alexandrum non vidisse, intelle-
ctum ita appellari potestatem, ut non sit mera susci-
piendi potestas, sed & agendi: est enim facultas
animæ, & intellectus principium & causa. Om-
nemque agendi facultatem, formam, & actum pri-
mum esse oportere, qui operationem & actum se-
cundum promere queat. Præsertim cum intellectio
sit actus vitalis, neque ab externo principio produ-
ci possit. At ne quatenus quidem suscipiendi pote-
stas est. Nam quod suscipit, existens quidpiam &
actu esse debet, cui aliud adueniat & in eo susten-
tur. Tandem si intellectus est intellectui materia,
ut Alexander ipse consentit; ex prima rerum mate-
ria ita ratiocinemur. Primam rerum materiam, esse
patiendi solum & suscipiendi potestas est; quia ta-
men suscipere debet & sustentare formas; puram
in uniuerso entium genere potestatem non dicimus;
sed ens quodpiam, & actum subsistentem substantiæ:
potestatem autem in genere formarum, quod ea-
rum nullam tanquam naturalem & sibi propriam
habeat. Multo igitur minus intellectus, qui tum
agendi, tum suscipiendi potestas est, pura potestas
absoluta, sed in genere solum intellectuum forma-
rum, dicendus est. Verum actus quidam primus
secundorum principium, formaque realis qualita-
tis; que intellectualem nullam habeat, sed earum
omnium susceptrix sit. Nam & vtagar, & vt susci-
piat, aliquid actu existens eum esse necesse est.

Ita etiam possumus Alexandrum conuenire. Aut
is intellectus aliquid est, aut nihil: Si nihil de eo
dicendum fuit. Si aliquid, aut substantia, aut ac-
cidens. Non substantia; tum quia facultas & vir-
tus animæ est: tum quia materialis omnis substantia
aut materia est, aut forma, aut ex his coniuncta. Et
quamuis intellectum is dicat esse velut materiam
intellectualem; primam tamen materiam non di-
cet. Quod si accidens sit, omne accidens actum
quendam & formam aduentitiam substantiæ; tan-
quam actuantem & exornatam, atque illi inharen-
tem significat. Intellectus igitur mera potestas
non est. Denique quo argumento collegit aduer-
sarius intellectum nil esse actum, sed meram potesta-
tem; eodem conficere debuisset esse nihil. Omnia
namque intelligit, illiusque obiectum quidquid
est comprehendit: quid igitur illi superfit, nisi non
ens & merum nihil?

Omnia vero tollitur difficultas, & vera de intelle-
ctus natura stat Aristotelis sententia; si propositio il-
la (quod Intus est, prohibet alienum & extraneum)

A de materialibus solis & corporeis intelligatur;
quemadmodum fuit proposita ad ostendendum,
eum materiali & corporea vlla natura permistum
non esse. Nam & materia ipsa, ut ait Philoponus,
intellectionem impedit; & ut loquitur Themis-
tius in expositione textus est. superioris libri,
ὅτι τὸ ἐνδεῖα δὴ αὐτῶν κλύει τὸ ἀνοητὸν εἶδος.
ἀνοητὸν δὲ τὸ ἀκερὸν ὁ ἀνοητὸς ἵπὸν οὗτος: Ma-
teria enim, inquam, nulla aduenientem sibi spe-
ciem indicare potest. Quoniam insipiens quiddam,
& Iudicij atque apprehensionis expertus est materia.
Et Auerroes quoque in Digressione ad sequentem
textum materiam dicit neque comprehensibilem
esse, neque distinctam. Quapropter cognitio om-
nis eleuatione constat à materia, formaque sine
materia susceptibile. Itaque ut sensus, quia mate-
rialis est & corporeus, nec seipsum, nec materiam,
nec omnino corporea cetera, sed qualitates solum
quasdam, que circumstant corpora, comprehendit;
atque in his ipsis qualitatibus, si quapiam imbutum
sit illius organum, ceteras nequaquam sentit: ita
proflus eueniret in intellectu, si materialis esset &
corporeus. At se ipsum is & materialia quoque om-
nia intelligit: materialis igitur & corporeus non est;
sed naturam habet à materia corporibusque omni-
bus liberam ac proflus diuersam. Vnde cum eum
intelligere omnia Philosophus accipit; non absol-
ute omnia, tum materialia, & corporea, tum im-
materialia & incorporea, significat (ita enim fieret
intellectum esse nihil) sed materialia solum & cor-
porea. Ut eum demonstret ab omni materia cun-
ctisque corporibus solum esse ac liberum; quem-
admodum inquitur Anaxagoras, De Immaterialibus
verò & in corporeis argumentum idem non
licet proponere: Intellectus immaterialis & incor-
porea intelligit; immaterialis ergò & incorporeus
ipse non est. Tum quia immaterialis natura per se
cognoscens est & intelligens, Quoniam separata à
materia, que cognitionem obruit & impedit. Qua-
re & omne intelligens est immateriale, & omne
immateriale intelligens. Tum quia cognitio fit ele-
uando à materia resque cognoscendas sibi assi-
milando: quare quo magis natura fuerit à mate-
ria eleuata, eo magis erit cognoscens, & rursum quo
obiectum fuerit magis immateriale, magis erit in-
tellectuale, faciliusque poterit intelligenti assimilari at-
que ad ab eo suscipi. Quippe quod est simile quoad
naturam & esse reale, suscipietur facilius & assimi-
latur etiam quoad esse intellectualem. Illaque ipsa simi-
litudinis naturæ materialium & corporeorum intel-
lectionem impediisset, immaterialium & incorpo-
reorum cognitioni plurimam sanè prodest.

Materia
cogniti-
o impedi-
dit.

TEXTVS.

*ὅτι τὸ ἐνδεῖα δὴ αὐτῶν κλύει τὸ ἀνοητὸν εἶδος.
ἀνοητὸν δὲ τὸ ἀκερὸν ὁ ἀνοητὸς ἵπὸν οὗτος*

*Quò sit, ut neque ipsius aliqua vlla natura sit, nisi Textus
hæc, quòd potens. Qui igitur anima intellectus appella-
tur (quo inquam ratiocinatur & existimat anima) nihil
est actu eorum, qua sunt, antequam intelligat.*



quo ea ratiocinatur & existimat, ad hunc intellectū ab Anaxogore intellectū separandum fuit additum, aut alterum ad hūc, alterum ad phantasmā, alterum ad proximē superiora verba, alterum ad textum 17. referenda sunt. Obiterque adnotandum, dānam Aristoteli ad intellectum, non ad sentientem vllam virtutem, pertinere. Quippe intellectum ait & *ἀνορέων & νοημάτων*, ratiocinari & existimare.

Postremo cum intellectus natura potestate quadā constare dicitur, quoniam id ex antea dictis concluditur, talique potestas intelligenda est, qualis fuit demonstrata: aliqui sensus quoque ad sensilia potestas est. Itaque duo addenda sunt. Alterum, esse potestatem ad omnia. Alterum, esse potestatem impatiibilem, que suscipiendoq. laeso & corrupto organo, quo ille vititur. Intellectū hunc patibilem appellamus, quod solam, nudam & infornem intellectus naturam significet potestate ad omnia, aptamq. ab omnibus pati ac perfici: singulorum scilicet cognitione, velut intellectū illi forma suscepta.

DIGRESSIO XXIII.

In qua ea, que ab Auerroē hoc loco de intellectu traduntur, explicantur & examinantur.

PRolongam hoc loco prater consuetudinem de intellectu natura Digressionem instituit Auerroēs. Quae cum contineat multa non veritati modo & Aristoteli repugnancia, verum etiam prater communem hominum omnium existimationem, omnino pratermittenda non sunt: ne (quod haetenus permultis accidit) incauto lectori, homini fortasse plus a quo tribuenti, imponant. Quod eo minus molestē ferre illi debebunt, qui eius se discipulos ac sectatores profitentur, quo veritatis magis fuerint amatores. Cum praesertim in hac ipsa disputatione grauissimos viderim ex Grecis viros, Alexandrum ac Themistium, atque ex Arabibus Abupacher & Auempace ab Auerroē reprehensos. Duo autem mihi facienda sunt. Primū, vt totam ea in hominem animaduersio planior citatā instōque suscepta intelligatur, vniuersam eius perobscuram & longam digressionem quanta maxima potero breuitate ac perspicuitate comprehendam. Tum quae in ea minus bene fuerint dicta, quāque ob causas, adnotabo.

BREVIS ET PLANA
*totius Digressionis Auerrois
 comprehensio.*

AUerroēs igitur postquam inter materiam & intellectum patibilem, quem Aristoteles naturam aliam nullā, quā potestatis cuiuspiam, habere definit, isq. materialem appellat, differentias quasdam exposuisset, de quibus superius dixi: tres deinceps de intellectu natura quaestiones disputat. Primam, num intellectus in habitu, quem speculatiuum vocat, sit aeternus nec ne. Alteram de

vnitate atque aeternitate intellectus patibilis, an vnus numero sit & aeternus in hominibus omnibus, an plures & mortales. Tertiam, cum hic ipse intellectus ens quodpiam sit, cur nec materia sit nec forma.

A prima quaestione orsus, Theophrasti ac Themistij opinionem commemorat; intellectum in habitu nil esse aliud, quā intellectum agentem actuatē eum, qui patibilis dicitur; seu duorum horum vnionem & conjunctionem. Quare cum illorum vterque ingenerabilis sit, incorruptibilis & aeternus, eiusmodi quoque eum esse, qui ex illis efficitur. Quod si obijcias, quidquid sit, in tempore ac de nouo fieri neque posse intellectum hunc aeternum esse, si ex duobus illis efficiatur. Respondetur, non verē ac proprie, sed per similitudinem agens & factum in intellectu nominari: nilque aliud esse intellectum in habitu, quā patibilis perfectionem peragentem atque vtriusque concursum. Si rursum queratur, qui fiat, vt hic intellectus, eum sit aeternus in nobis tamen non semper intelligat; sed quandoque intelligat & quandoque non intelligat: Causa est, inquit, initio intellectus patibilis; qui cum sit potestate, intelligere actu semper non potest: alioqui agens apertus semper esset agere. Intellectum porro in habitu duplici illo intellectu, agente & patibili, constare; duplici item argumento affirmarunt. Tum quod ille intellectus duabus rebus absoluitur, separatione formatū a materia; quia intellectuales actu sunt; & earum susceptione comprehensionēque. Illud agentis, hoc patientis intellectus est. Tum quod horum vtrumque, prestare intellectus in habitu potest quando voluerit: eoque melius, quo perfectior fuerit. Quare cum agentis alterum, alterum patientis intellectus propriū sit, nil aliud is fuerit, quā horum compositio.

Tribus autem modis aduersus hanc sententiam argumentatur Auerroēs. Primū; quod Aristoteli aduersatur, qui ita dixit intellectuale actu sese habere ad intellectum patibilem, vt sensibile se habet ad sensum. Quare cum sensibile actu generabile sit, intellectuale actu aeternum non erit: & ideo nec intellectus in habitu. Deinde quoniam si intelligere actu sit aeternum; id etiam, quod intellectum est, aeternum fuerit. Quare ipsamet sensibiles formae essent actu intellectuales, immateriales extra animam, & aeternae. Postremo quia intellectus perinde se habet ad phantasmata, ac sensus ad sensilia. Et vt sensus non sentit, nisi sensibile praesens; ita nec intelligit intellectus, nisi adsint phantasmata. Si igitur intellectus actu aeternus est, erunt & phantasmata: ergo & phantasia: ergo & sensus sensibilesque ac re ipsa sensibiles. Tandem vero pro Theophrasto ac Themistio videtur rursus argumentari. Primū; intellectus agens est aeternus & patiens aeternus, ergo is quoque, qui ex illis sit, necesse est sit aeternus. Deinde si is generabilis sit & corruptibilis, quo modo intellectalia producit & intellectiones, quae sunt abstractae.

Alteram mox de intellectu vnitate quaestionem introducens (siue aduersus Themistium disputans, qui vnā in omnibus humanam animam asserbat: siue illud impugnans, intellectū materialem aeternum esse: siue quod vnitatem numericam credens a materia nasci, quae corruptionis item principium est, & ideo quod est aeternum, esse vnū numero, quodq. numero multiplex, corruptibile arbitratu, quaestionem hanc de vnitate cum antecedenti de

De intellectu aeternitate.

De intellectu vnitate.